



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118464**

§. 71. Annotationes Eckii in propositiones Lutheri

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](#)

Sæcul. XV. mine Beuiliū via electionis subrogabat;  
A.C 1518. Rex quoque Guilielmum Parvum, quem  
 conscientiæ arbitrum habuit, nominabat, unde Parvo a Capituli electione ad Se-  
 dem Apostolicam provocante, lis inte-  
 grum sesqui annum tenuit, tandem vero  
 Parvus caufsa cecidit, Leone X. electum  
 confirmante, eoquod Capitulum eligen-  
 di privilegio auctum fuisset, nec Sanctitas  
 sua, ut ipsamet in Concordato declara-  
 bat, Capitulorum privilegiis derogare, ul-  
 latenus intenderet.

## §. LXXI.

*Annotationes Eckii in propositiones Lutheri.*

**R**aynald. ad an. 1518 n. 91 Cum Lutherus magnum sibi sectatorum  
 numerum conciliaret, Joannes Eckius

Theologiæ Doctor ac Professor, necnon  
 Ingolstadiensis Universitatis Pro-Cancel-  
 larius Religionis tuendæ debito sese ob-  
 strictum existimabat, ut Lutherum jun-  
 ctis cum Tetzelio armis aggredetur.  
 Primo adversarii sui propositiones notis,  
 quos *Obeliscos* vocabat, perstrinxit, ante  
 omnia demonstrans, quod Sacramenta  
 novæ legis efficaciam suam ex se ipsis  
 habeant, & Sacramentum poenitentiæ,  
 cum ex Lutheri doctrina culpam non  
 remittat, necessario poenam remittat, nec  
 non pari ratione, qua Ecclesiæ Ministri  
 culpam

culpam esse condonatam declarare va- Sæc. XVI.  
lent, Sacerdotes quoque morti proximo A.C. 1518.  
declarare possint, poenas Canonicas, quas  
per sua peccata incurrit, in purgato-  
rio ipsi reservatas esse. Posthæc Luthe-  
ri exprobrat, eum sine ulla ratione do-  
cuisse, quod animæ in piaculari carce-  
re detentæ de suo statu incertæ, spem  
inter & desperationem fluctuant; de cæ-  
tero, inquit Eckius, Sacerdos clavum  
potestate remittit poenam, quam pecca-  
tor ob noxas suas Deo solvere tenetur, si-  
que Pontifices in suis literis indulgen-  
tias per modum suffragii elargiuntur, non  
inde earum efficacia diminuitur; præ-  
terea sicut poenitentia in statu peccati  
adimpleri valet, ita & probabile est, in-  
dulgentias in statu peccati suscipi posse.  
In eodem libro Eckius propugnat, non om-  
nes, qui veram contritionem elicunt, pro-  
pterea absque satisfactione poenæ pro  
peccatis debitæ remissionem obtenturos,  
ac distinquendam esse satisfactionem a  
merito, ita ut per indulgentias equidem  
satisfactorii, non item meritorii ut vocant,  
operis necessitas remittatur. Præterea  
Eckius afferit, indulgentiarum Thesaurum  
esse merita Christi Domini nobis per  
Papam dispensata; Lutheri vero propo-  
sitiones nil nisi Pontificiæ auctoritatis, at-  
que indulgentiarum contemptum inspira-

Z 2

re.

Sæc. XVI re, ac populum ad seditionem concitare  
A.C. 1518. inquiebat.

## §. LXXII.

*Lutheri Theses de pœnitentia.*

*Lutherus serm. de indulg. tom. I. p. 59. & edit. Wittemb. fol. 53.*

Lutherus Eckio responsurus alias de pœnitentia propositiones divulgavit, in quibus remissionem culpæ condonationi poenæ præferens, hæc tradidit. I. *Remissio culpæ non innititur contritioni peccatoris, nec officio aut potestati Sacerdotis, sed potius fidei, quæ est in verbum Christi dicentis: Quodcumque solveritis super terram, erit solutum & in coelis; hinc quantumlibet quis incertus sit de sua contritione, rata est absolutio, si credit se absolutum.* II. *Sola fides in Christum justificat, adeo, ut et si Sacerdos nullam haberet potestatem, dummodo Sacra menta recipiens fidem habeat, Sacramenti effectum percipit; ea propter Doctor ille hodie natus docebat: Crede fortiter te absolutum, & absolutus vere eris, quicquid sit de contritione; omnia in eo consistunt, ut sine hæsitatione credas te esse absolutum.* Ex quo inferebat, nihil referre, an Sacerdos te serio, vel ex joco baptizet, vel absolvat, quia in Sacramentis duntaxat timendum, ne satis firmiter confidas, peccata tibi esse remissa, cum ea remissa credere poteris.

Adde-